



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

VI. An illa quænaturaliter creantur, educi possent de potentia Dei
absoluta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

3 De modis aliis, qui per se ipsos afficiunt subiecta, ex quibus educuntur, & illorum dicuntur modi, sicuti presentia, & viuerim de omnibus modis sic probo. Presentia, quam de facto habet hæc quantitas dependet ab illa in genere causæ materialis: non per se ipsam, sed per passionem superadditam: ergo non est aliqua specialis ratio in presentia, neque in aliis modis, quæ non reperiatur in formis, quæ sunt res, propter quam non possit creari forma modalis. Antecedens probo: presentia quantitatis potuit prodici ab hoc, vel ab illo principio actiuo: ergo potuit dependere per hanc, vel per illam actionem à principio actiuo; forma enim indifferens ut dependeat à diuersis principiis indifferens est ut dependeat per diuersas actiones, quia non potest eadem actio à diuersis principiis procedere: ergo potest dependere per hanc, vel per illam passionem à quantitate: ergo non dependet per se ipsam à quantitate tanquam à causâ materiali: ergo non est specialis ratio in forma modalis, quæ non sit in formis realibus, propter quam non possit creari, cum non eo ipso, quod modus sit, per se educatur, licet per se dependeat dependentia connexionis distincta à dependentiâ quæ est in genere causæ materialis, quæ non est dependentia propriæ causalitatis; modus enim non præcise ex eo, quod sit modus in aliquo genere causæ dependet à re, cuius est modus, sed tantum habet cum illa connexionem strictam, ratione cuius neque de potentia Dei absoluta possunt separari.

4 Confirmatur: Passio mediâ qua vnio recipitur realiter distinguitur ab illius vnione, quia presentia per se ipsam vnitur subiecto, & recipitur per passionem superadditam identificatam cum actione, ut probat manifestè ratio adducta ex diuersitate principiorum, à quibus actio eiusdem termini procedere potest: ergo non ex eo, quod non possit vnio modi ad rem, cuius est modus, separari ab illo, inferitur, non posse passionem ab eodem separari.

5 Dices ad creationem termini requiri independentiam non solum à subiecto, sed etiam ab omni quocumque alio. Contrâ: definitio creationis tantum dicit terminum produci ex nihilo, hoc est, ex nullo præsupposito subiecto: ergo dependentia à termino, seu ab alio, cum quo modus connexionem habeat creationi non obest. Confirmatur: in communi sententia materia prima non potest conservari sine forma, & nihilominus, quia ab illa non dependet per causalitatem causæ materialis, dependentia à posteriori, quam à forma habere dicitur non opponitur cum creatione materiæ: ergo creatio non dicit negationem cuiuscumque dependentiæ. Verge efficacius: Possibilis est actio terminata ad modum existentem, ex vi cuius non dependeat ab aliquo subiecto in genere causæ materialis, etiam si retineat connexionem essentialem, quam habet cum re, cuius est modus, vel si neges esse possibilem, illam tibi mente fingito: hæc actio non esseteductio, quæ essentialiter dicit dependentiam termini à subiecto: ergo esset creatio: ergo de ratione creationis tantum est constituere terminum independentem à subiecto, non verò illum constituere absolutum à quacumque alia connexionem.

6 Inquires, an creato modo vnionis composito diceretur totum compositum creatum. P. Vasquez 1. part. disput. 174. cap. 4. num. 18. negatiuam partem defendit, quia compositum illud fieret ex aliquo videlicet ex partibus. Feror in partem affirmantem, quia eatenus producit totum, quatenus producit vnio, & ex vi productionis vnionis dicimus totum esse productum. Sic homo, cuius partes creantur, & vnio gignitur, genitus dicitur: ergo si illius modus vnionis crearetur, totus homo diceretur creatus, etiam si per impossibile materia & forma hominis gignerentur, quia ut bene Hurtadus, illa dicitur totius productio, quæ est productio modi vnionis, qui est ratio formalis compositi, quo posito non potest non esse compositum. Potest etiam dici tunc compositum non creari, non quia fiat ex partibus, sed quia ratione formæ dependet à materia, de quo iterum Controversi. 2. de generatione, Punct. 1. ad finem. Ad rationem Vasquez respondeo, aliud esse totum constare ex materia & forma tanquam ex partibus componentibus, aliud fieri ex præsupposito subiecto, & illius actionem præsupponere subiectum tanquam causam materiale, & passionis subiectum. Primum competit essentialiter toti composito quod cum creatione non opponitur: secundum illi accidentaliter competit, quando vnio mediâ passione producit, quæ non intercedet, si creetur vnio, & ita ve-

rum non erit actionem totius esse ex præsupposito subiecto, neque totum constare ex subiecto quod in genere causæ materialis mediâ passione influit in totum, quod requiritur ad generationem, & creationi opponitur.

PUNCTVM VI.

An illa, quæ naturaliter creantur educi possint de potentia Dei absoluta.

Tota procedit questio de anima rationali, & de aliis formis, quæ naturaliter petunt per creationem produci, quia de materia prima, & de toto completo, Angelis, verbi gratia, certum est non posse educi ex subiecto, quia materia prima nullum potest supponere, neque totum adequatum, quod non ordinatur ad aliud componendum. De formis substantialibus possibilibus, & de anima rationali existenti inquiri potest, An possint formæ, quæ mediâ creatione distincta naturaliter producantur, ex potentia subiecta educi. Secundò an formæ quæ immediate per se ipsas creantur possint educi per aliam actionem superadditam. De omnibus absolute loquendo negat Hurtadus disput. 12. sect. 3. Oppositam sententiam tenent recentiores affirmantes posse formam etiam per se ipsam creatam educi simul per passionem superadditam, quia non opponuntur contradictoriè rem per se ipsam creari, & simul educi per aliquid superadditum. Mediâ teneo viam, quam iam explicabo.

Anima rationalis existens de facto educi non potest de potentia subiecti etiam si creetur per actionem superadditam. Ratio est: ad hoc ut anima rationalis possit educi, debet supponi ex parte ipsius animæ capacitas ad terminandam actionemeductiuam, & capacitas ex parte subiecti ad recipiendam talem formam mediâ passione, sed nullum est fundamentum ad ponendam talem capacitatem in anima rationali existenti, neque in aliquo subiecto ex his, quæ existunt: ergo non est ponenda iuxta regulam sæpe repetitam, videlicet non esse concedendam aliquam potentiam, seu prædicatum aliquod positum rei existenti sine positio fundamentum. Confirmatur ratione adducta Puncti præcedenti, ubi dicebam non inferri ex eo quod res educatur mediâ actione superaddita posse creari: ergo neque inferitur ex eo quod mediâ creatione superaddita creetur posse generari.

Cum hoc compono possibilem esse formam spirituales naturaliter exigentem creari mediâ actione superaddita, quæ possit supernaturaliter educi ex potentia subiecti spiritualis, vel materialis, si non repugnat rem spirituales ex subiecto materiali educi. Hanc conclusionem probo ex eo, quod nulla sit repugnantia in eo, quod forma naturaliter exigens creationem possit educationem supernaturaliter terminare, sicuti non est repugnantia in eo, quod forma naturaliter exigens per generationem produci, possit per creationem supernaturaliter procedere.

Obicit primò Hurtadus: Generatio est imperfectior creatione, sed quod est imperfectius non potest substitui loco perfectioris: ergo generatio non potest substitui loco creationis. Concedo maiorem, & nego minorem, quam gratis supponit Hurtadus.

Obicit, secundò: forma spiritualis per se ipsam est independentis à materia: ergo non potest ab illa dependere. Distinguo antecedens: per se ipsam petit esse independentem à materia, concedo antecedens per se ipsam habet independentiam, nego, quia supponimus produci per creationem superadditam, ex vi cuius supponitur independentia.

Obicit, tertio: Si illa forma educeretur ex potentia materiæ, viuens per illam constitutum non posset nutriri, quia indiuisibiliter à tota materia dependeret. Ne nutriatur dum forma esteducta contra propriam exigentiam, ex vi cuius creari debebat, quid tunc postea? Vel dicito posse nutriri per extensionem formæ ad nouam partem materiæ, à qua non dependeret.

Obicit, quartò: forma, quæ naturaliter creatur, est incorruptibilis, sed si dependeret à materia esset corruptibilis: ergo non potest ab illa dependere, aliàs eadem forma esset corruptibilis, & incorruptibilis. Respondeo negando minorem, quia forma illa, etiam quando esseteducta peteret creari, & casu quo deficeret actio ex vi cuius educeretur, semper illi esset debita creatio, ac proinde peteret non corrumpi.

8 De formis, quæ per se ipsas creantur sentio non posse de potentia Dei absolute educi, quia cum ab illis non possit separari creatio,eductio superaddita ex natura sua esset superflua, necessarium enim respiceret terminum, qui in quocumque casu æquè benè existeret illa deficiente. Hac ratione dixi non posse idem influere in se ipsum per secundam actionem, quia hæc essentialiter supponeret terminum independentem ab illa, & non posse actionem per se ipsam dependentem à principio ab eodem vel ab alio per aliam actionem superadditam dependere, quod contingeret si generatio terminaretur ad terminum, qui per se ipsum crearetur, quia ille terminus esset creatio, ad quem generatio terminaretur. Eadem ratione dicendum est non posse terminum per se ipsum genitum, per creationem superadditam à Deo produci.

9 Vltimò inquiri potest de formis, quæ possunt successive educi, & creari, an possint simul terminare actionem creatiuam, & eductiuam. Supponimus posse eandem entitatem duplicem actionem totalem terminare, quod iam probaui Controuersia 7. & in præsentem tantum est specialis dubitandi ratio ratione peculiaris oppositionis, quam habet creatio cum educatione propter diuersum modum respiciendi terminum. P. Soar. tom. i. in 3. part. disput. 14. sect. 1. *Vltima ergo*, ait repugnare idem accedens esse per se, & inherere, quod idem videtur esse ac creari & educi. Posse supernaturaliter eundem terminum educi, & creari per actiones distinctas plurimi recentiores docent, quibus subscribo, nulla est enim specialis ratio repugnantie inter educationem, & creationem, quam Deus vincere non possit, quod sic probo. Accedens esse independentem ex vi creationis nihil aliud est, quam actionem creatiuam non dependere à subiecto, quod proprius significaretur si diceretur accedens fieri independentem, ex quo faciendi modo fit accedens ex vi illius nullam trahere dependentiam, quod formaliter non dicit negationem absolutam dependentie in accidenti, sed negationem dependentie ortæ ex illa actione, seu per illam actionem non dependere. Similiter accedens esse dependens ex vi generationis dicit illam actionem esse dependentem, ex quo resultat accedens ipsum dependere à subiecto quatenus habet esse per talem actionem, ita ut si ex vi alijs actionis illud non habeat deficiente subiecto deficiat accedens, quia deficiet actio, ex vi cuius vnice existeret. Sed esse dependentem à subiecto hanc actionem eductiuam, & illam creatiuam terminatam ad eandem entitatem non esse dependentem, non opponuntur contradictoriè: ergo accedens esse eductum, & creatum contradictoriè non opponuntur. Rem confirmo, & illustro. Pone calorem productum adæquate ab igne & à Sole per duplicem actionem eductiuam, quam posse terminare supponimus in præsentem quaestione. Ex vi actionis procedentis à Sole calor recipit esse independentem ab igne, ita ut igne deficiente idem permanebit: ex vi actionis procedentis ab igne idem calor dependet ab igne per veram actionem, & dependentiam: ergo non repugnat idem accedens ex vi huius actionis esse independentem ab hac causa, & ex vi alijs ab eadem dependere. Sic fit in termino creato, & genito, ut ex vi creationis non dependeat à subiecto, sicuti calor, de quo dicebamus, ex vi actionis procedentis à Sole non dependebat ab igne, & ex vi generationis dependet à subiecto sicuti idem calor ex vi alijs actionis dependet ab igne.

10 Ex his solutio facilis est: ad fundamentum oppositæ sententiæ respondeo calorem eductum, & creatum esse dependentem, & independentem positiuè, quæ contradictoriè non opponuntur, sicuti non opponuntur, Christi esse extensum in Cælo, & inextensum in Eucharistia. Ad illud quod dicitur sequi terminum dependere, & non dependere negandum est sequi terminum non dependere, quia terminus, qui per vnam actionem dependet, etsi non dependeat per aliam, absolute dependet, tantum dici potest terminum non dependere ex vi actionis creatiue seu non dependere ex vi huius actionis, ex quo non infertur absolute non dependere, non enim valet consequentia à restricto ad non restrictum negatiuè. Neque idem sonat, terminus est independentem, ac terminus non dependet, quia terminum non dependere dicit absolute non dependere ex vi alicuius actionis, ita ut neq. per hanc, neq. per illam actionem dependeat, negatio enim omnia distribuit terminum, vnde esse independentem, tantum dicit terminum ex vi alicuius

Fr anc. deQuindo, Philosoph. tom. 1.

actionis non dependere, siue per aliam dependeat, siue non dependeat, cum enim copula huius propositionis, terminus est independentem, non sit negata, sufficit hanc vel illam independentiam termino inesse, ut verificetur, etsi alias idem terminus dependentiam habeat.



CONTROVERSIA XIV.

De Infinito.

AGGREDIMVR materiam meâ quidem sententiâ difficillimam omnium, quas tota amplectitur Philosophia, existimo enim infiniti naturam longè explicatu difficiliorem esse continui compositione quam ingenui, acuti, doctique viri insuperabilem putarunt: tota enim illius difficultas disputationis hic nos premit, ea enim est, finitâ nostræ mentis acie infinitam molem euolui, quæ vix apprehensio tangi potest, tantum abest vrinellectus illam metiri valeat. Nihilominus ne videar mancum reliquisse hoc opus, de Infinito disputo, cuius difficultates, etsi non penitus exhaurire præsumam, illas tamen explicare conabor.

PUNCTVM PRIMVM.

Infiniti definitio.

Primo Infinitum diuiditur, in Infinitum secundum essentiam, seu perfectionem, & in infinitum secundum accedens. Infinitum secundum essentiam est illud, quod includit summam perfectionem possibilem, ultra quam non potest maior alia excogitari: hoc infinitum constat non quantitate molis sed perfectionis, illa enim, quæ excellentiora sunt maiora vocamus, vide August. libr. 6. de Trinitate capit. 8. ait: *in his, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse.* Hæc infinitas tantum competit Deo, qui vnice habet perfectionem, supra quam non sit alia: quæcumque enim perfectio à Deo distincta inferior est perfectione Dei, & defectibilis, & depedens, in quibus magna imperfectionis mixtura reperitur. Infinitum secundum accedens triplex est: secundum extensionem, intensiorem, & multitudinem. Secundum extensionem, erit quantitas infinitè extensa: secundum intensiorem qualitas erit, cuius gradus eidem subiecto inherentes infiniti sunt: Infinitum secundum multitudinem erit multitudo ex infinitis vnitatibus coagmentata. Non est disputatio de infinito secundum essentiam, sed de infinito secundum accedens, cuius definitiones iam expendo.

Antiqui definebant infinitum: cuius nihil est extra: quos sequuti sunt Baconius in 1. distinct. 44. quæst. 1. art. 2. Durand. in 1. dist. 43. quæst. 2. & in 2. distinct. 1. q. 3. Aur. in 1. distinct. 44. quæst. vnica art. 1. part. 1. *S. est quæritur*, vbi probat in continuo non esse infinitas partes: *Quia infinita partes (inquit) sunt omnes partes, & infinita puncta sunt omnia puncta.* Definitionem hanc impugnat Philosophus 3. physic. text. 62. & 63. quia si intelligendum sit illud: cuius nihil est extra, pertinet ad id, quod infinitum dicitur, competit definitio omni toti perfecto, quod definiuit Arist. 5. Metaphysicæ capit. 16. per eadem verba: *totum perfectum est, cuius nihil est extra.* Si intelligatur illud cuius nihil est extra etiam pertinet ad aliud compositum, non rectè definitur infinitum, quia posito hic quodam infinito, posset aliud esse infinitum, imò alia infinita eiusdem rationis extra illud reperiri, potest enim Deus cuiusque multitudinè Angelorum etiam infinitè, Angelum, & Angelum, infinitosque Angelos superaddere. Secundò eandem definitionem sic impugno: detur infinitum hominum vel Angelorum & ab illius multitudine remoueat Deus vnum indiuiduum, quæ remanent necessariò erunt infinita, quia si essent finita per additionem vnius vnitatis non possent fieri infinita: ergo illa multitudo esset infinita,

Bb 3 86